



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Ethices Christianae, Libri Tres

Daneau, Lambert

Genevæ, 1579

Cap. III. Quid sit actio in vniuersum, item & quid humana actio, & quotuplex.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41242

CAP. III.

Quid sit actio in vniuersum, item & quid humana actio, & quotuplex.

VT quæ sint humanarum actionum principia & causæ melius intelligatur, primum omnium quid sit Actio in vniuersum, Deinde quid humana Actio & quotuplex, explicemus. Aristoteles li. 6. *ἠθικῶν Νικομαχ.* cap. 4, & 5. religiose inter hæc duo vocabula distinguit *πράξις* & *ποιεῖν*, quæ Latini homines agere & efficere vulgò conuertunt, adeò vt non tantùm sono & propria quadam significatione hæc inter se diuersa statuatur, sed etiam toto genere dissimilia, Ἄλλο inquit ille, τὸ ἕνος *πράξεως*, καὶ *ποιήσεως* ἔστι. ἔτερον δὲ *πράξις* καὶ *ποίησις*. Itaque habitus ipsos rationemque rectam, per quam *ποιῶμεν*, id est, aliquid agimus, planè aliam ab ea facit, per quam *πράττομεν*, id est, aliquid efficimus. Οὐδὲ *πράξις* ταὶ ὑπὸ ἀλλήλων. Οὐτε γὰρ ἡ *πράξις*, *ποίησις*: ἢ τε ἡ *ποίησις*, *πράξις* ἔστι, id est, neque altera ab altera continetur. Neque enim actio, effectio est: neque effectio, actio. Ex quo fit, vt nomen actionis, quæ *ποίησις* Græci vocant, ex hac interpretatione angustè restringi videatur. Actionem autem definit idem ipse Aristoteles, tum lib. 6. eiusdem operis, cap. 5. tum lib. 1. cap. 1. quū præter ipsam operationem, nullum opus ab ipso agente relinquitur. Varro autem lib. 5. de lingua Latina, ita; *Actio est, cum quis quid administrat, cuius opus non exstat, quod sub sensum veniat.* Cicero

lib. 3. de finib. *Actio est, cuius in ipsa arte, & actione insit extremum.* Vnde ipsius actionis finis est *ἡ τελεία*, id est, ipsa solum actio rectè & ex præscripto rationis administrata, veluti in Musico, vel citharædo, ipsius actionis finis est ipsa actio, id est, ipse concors cantus, vel citharæ suavis pulsatio, quæ tamen statim perit & evanescit. At verò effectiōnem, & *ἡ ἐπιτελεία* esse vult, cum post & præter ipsam operationem, manet aliquod opus, quod cerni possit. Itaque effectiōnis finis diuersum quiddam est ab ipsa operatione & labore, veluti in fabro ferrario, lignario, architecto, & cæteris huiusmodi opificibus: à quibus ex ipsa operatione aliquod opus vel artificium editur & relinquitur. Stoici tamen, qui & ipsi de hominum actionibus prolixè scripserunt, tamen hanc distinctiōnem vocum minimè retinuerunt, sed promiscuè *ἐνεργήματος*, *ἐνεργείας*, *ποιήσεως*, & *ἡ ἐπιτελείας* vocabulis vtuntur, vt ex Diogene Laertio, in vita Zenonis, lib. 7. colligi potest. Iurisperiti, homines verborum proprietatis obseruantissimi, Primùm, inter facere & gerere, subtilem quandam differentiā esse scribunt in L. licet D. de Verbo. significatio. Deinde, inter facta ipsa, & opera hominum etiā distinguunt. Quoddam enim appellant *ἡ ἐπιτελεία*, quod esse aiunt ex opere facto corpus aliquod perfectum, veluti domus omnibus suis partibus perfectè constans: vestis, cui nulla necessaria accessio, & pars deest. Quoddā autem *ἡ ἐργον*, quod est opus quidem factum, cui tamen pars aliqua deesse potest. L. rei appellatio, D. de Verbo.

Verbo. significat. Sed hæc tam subtiles inter facere & efficere : facere & gerere : opera perfecta, & ea quæ nondum planè consummata sunt distinctiones, quanquam sunt ab illis ad sui argumenti & scientiæ rationem vtiliter inductæ, ad hanc nostram tamen quæstionem, Quid sit actio, explicandam videntur minimè pertinere. Sed nec ille Varronis locus, qui est lib. 5. de lingua Latina his verbis. *Tertium gradum agendi dicunt, ubi quid faciunt. In eo, propter similitudine agendi & faciendi, & gerendi, quidam error his, qui putant esse vnum. Potest enim aliquis facere & non agere : ut Poeta facit fabulam & non agit : contra actor agit, & non facit : & sic à Poeta fabula fit, & non agitur : ab actore agitur, & non fit. Contra imperator qui dicitur res gerere, in eo neque agit, neque facit : sed gerit, id est, sustinet. Translatum ab his, qui onera gerunt, quod sustinent. Proprio nomine dicitur facere à facie, quod rei, quam facit, imponit faciem, ut fictor quum dicit fingo, figuram imponit : quum dicit infirmo, formam : quum dicit facio, faciem imponit, à qua facie discernitur, ut dici possit aliud esse vestimentum, aliud vas. Quod autem addit idem Varro postea, magis ad nostrum institutum facit. Sed quod eis magis promiscuè, quàm diligenter consuetudo est usa, translatis utimur verbis. Nam & quidem facere verba dicimus. Quid igitur ? Actionis vocem latissima significatione sumimus hoc loco, ut sit actio in vniuersum omnis corporis animive motus & agitatio. Actio enim ab agitato facta est, quemadmodum idem Varro scribit, ut quicquid agere seipsum non potest, quanquam ab*

alio possit agitari, agi potius sit dicendum. Itaque animantium solum, quæ sese mouent & agitant: non etiam lapidum, herbarum, virgultorum, quæ fixa & immobilia radicibus hærent, videtur esse propriè illa operatio, quæ actio debet nominari. Et cum plantæ viribus sibi à natura insitis aliquid operantes, veluti Rhubarbarum purgans choleram agere dicitur, impropria est omnino loquendi ratio, & à rebus animatis ad res inanimas traducta. Est igitur sic statuendum, vt sit actio solius animalis propria agitatio, siue illud animal sit *λογικόν*, qualis homo: siue *ἄλογον*, qualia sunt bruta animantia, quæ ex ipso vocis Varroniano etymo agere, quemadmodum homines, dici possunt: quia corpus suum agitant, & mouent. Latine tamen linguæ usum, & proprietatem retinentibus videbitur, non tam propriè brutis animantibus, quam solis hominibus, & actionis & agendi vocabulum conuenire. Sic enim homines Latini loquuntur, vt hominibus duntaxat, vel propriè verbum agere ferè tribuunt. Itaque verè homines agunt. Bruta verò animantia potius aguntur, etsi tamè, si actionem solum corporis agitatum definias, & ipsa agere dici possunt: sed neque tam propriè, quam homo: neque tam ex usu linguæ Latine. Ita enim hæc vox sonat, vt quandam non tantum animæ & vis cuiusdam internæ nos agitantis, sed etiam rationis & consilij nostram illam agitationem regentis, significationem videatur in se continere. Etsi non dubito apud Græcos, has voces *ἔργαζεσθαι*, *ποιεῖν*, *πράττειν*, *κινεῖν*, *ἐπιτελεῖν*: apud Latinos autem, operari, facere, agere, efficere, mouere

re, mouere, de brutis, plantis, & hominibus, quemadmodum dixi, sæpe promiscuè & indiscriminatim sumi solere: sed nos veram vocis illius notionem quærimus. Ergo actio, si ex vero ipsi us significato restringatur, nō iā erit cuiuslibet rei, etiam sese mouentis, agitatus: sed illius tantum, quæ consilio quodam vti videtur, qualis est homo, siue *λογισ*, siue *ποιησις*, siue *ἐνεργησια* siue *ἐνέργεια*, siue *κίνησις* græcè illa agitatio nominetur. Ex quo fit, vt triplex genus actionis esse statuatur. Primū est, mentis ipsius agitatus, quæ cogitatio dicitur. Nam primum ea, quæ sumus acturi, cogitare debemus. Secundum genus est dicere (inquit Varro lib. 5. de lingua Lati.) Tertium autem facere, quæ diuisio etiam sacræ scripturæ testimonio confirmatur, vbi diuersis tamen locis, tria hæc actionum humanarū genera commemorantur. Coloss. 3. v. 17, 2. Cor. 3. v. 5. & ab August. in Enchirid. cap. 64. & in Psal. 118. Quum autem omnis hominis actionis subiectum, vel instrumentum, quo fit, sit tantum duplex, etiam breuius vniuersa hominis actio duplex quoque est constituta, vna { Animi
Corporis

Sed quia præter puras vel animi, vel corporis actiones, quædam sunt communes actiones: tertium quoque earum genus superioribus duobus est adiiciendum, vt hominis actio omnis dicatur

- | | | |
|---|---|------------------------------------|
| 1 | } | Animi solius & propriè. |
| 2 | | Corporis solius & propriè. |
| 3 | | Mixta & communis Animi & corporis. |
- b.ij.

In homine autē ipso, quoniam obseruari multa possunt, quorum sunt quædam illi cum plantis & virgultis communia, quale est viuere, adolescere, senescere, **crescere**, minui: multa verò cū brutis animatibus, quale est meminisse, loco moueri, sensibus corporis aliquid percipere, quod sentire vocant: Quædam verò ipsius tantum hominis propria sunt, quale est apud se deliberare, è duabus rebus propositis vnâ certo animi iudicio præferre, causas rerum inuestigare, verum videre, ratiocinari, Quæsitum est, vtrum actiones hæ omnes hominis actiones sint appellandæ. Atque etiam, vtrum ab vna eadēque numero anima in homine omnes oriantur, & fiant. Vtilis sanè quæstio, & quæ nobis minimè digna visa est, quæ prætermittetur. Ac primum quidem, vt intelligatur, vtrum superiores actiones omnes, quæ sunt vel cū plantis, vel cū brutis pecudibus homini communes, sint hominis actiones dicēdæ, distinguendū putamus. Nimirum, vt alia sit in homine, quæ dici debet

{ Humana actio
 { Hominis

Humanam igitur **actionem** voco omnem eam, quæ fit ab homine, **vel** ex generali ipsius humanæ naturæ conditione & lege, quale est viuere, adolescere, senescere, edere, somnum capere, gignere, sentire, atque ad eò ratiocinari: vel etiam ex eius personæ ratione, quæ alicui specialiter imposita est, quale est docere in schola, Rempub. gerere, exercitum ductare, quæ homines doctores, principes Rerumpub. & belli Duces faciunt. In vniuersum humana actio est,

est quicquid ab homine fit, siue rectè, siue prauè, siue quatenus animo rationeque ille vitur, siue non vitur, sed quiddam simile cum brutis & plantis agit. Sic Paulus Actor. 17. ver. 28. quædam genera earum actionum recenset. Homini autem actionem appello nõ quamlibet, sed eã tantum, quæ ipsius hominis propria est, quatenus ille est animal ratione præditum, & à reliquis creaturarum rerum generibus differens, denique Dei ipsius imago est. Hoc actionum genus in ratione & voluntate hominis positum est, quod spectat & persequitur hæc nostra disputatio, quam Ethicem appellamus. Hoc actionum genus, Paulus passim in Epistolis cõmemorat. In hoc actionum genere propriè virtutes, & vitia versantur: ex hoc vno quid homo ipse cæteris animantibus præstet, intelligitur. Quæ obrem neque vita, & appetitus, quæque ad eum pertinent (quæ sunt homini cum plantis, & virgultis communia) neque sensus, & quæ ad eum peragendum spectant (quæ sunt illi cum brutis paria) propriè hominis actiones à nobis vocabuntur. quanquam tamen eadem rectè dicentur humanæ actiones. Itaque generalissima est appellatio humanæ actionis. Significatio verò eius actionis, quæ hominis propria est, specialis & angustior. Scholastici aliter distinguunt. Alios enim actus dicunt esse in homine merè naturales, quales ij omnes, qui illi sunt cum plantis & brutis communes, & ab iis fieri dicuntur citra usum & interuentum rationis: alij autem in eodem homine actus ab iisdem Scholasticis appellatur **Homini actus**, in quibus vitur Ratione.

b. iij.

Hanc distinctionem improbamus, quia statuit in homine aliquas actiones citra præscriptū & vsum rationis probandas & cōcedendas. Quod omnino fieri nō debet. Debet enim in homine omnis actio ex præscripto rationis fieri & oriri, nisi bruta esse velimus. Deinde fundamenta sternit hæc distinctio scholasticorum illius perniciosissimi erroris, quem postea excuderunt, vt alij hominis actus dicantur considerandi in esse naturæ: alij in esse moris: alij denique in esse meriti. Ergo hi prætermittantur & ad institutum argumentum reuertamur. Quod autem secundo loco quæsitum est, vtrum ab vna & eadē numero anima omnes hæ tam diuersæ actiones & operationes fluant? dubitationem habet maiorem. Sic enim Peripatetici, quorum princeps fuit Aristoteles, censent huiusmodi animam in homine inesse, cuius tres sint partes, *Μόεα* vocat ipse lib. *ἠθικῶν Νικομαχ.* cap. 13. nonnunquam tamen *δυνάμεις*: sed in libris de anima tres illas animi partes cum numeris specie inter se differentibus, & separatim seorsimque subsistentibus comparat, qualis est Binarius & Ternarius, adeo vt in homine eas & plures & separatas esse animas, ex illius sententia, dubitandum non sit. Quinetiam eam animi partem, quam *λογικὴν* sive *ἡγεμονικὴν* appellat, neque eodem temporis momento, quo vegetantem & sentientem animam esse in homine putat Aristot sed tardiùs infundi: neque ex eadem causa & principio manare, sed diuerso. Vegetatē enim & sentientem ex ipsa interna humorum corporis nostri *ἁρμονία* nasci: Ratiocinātem au-

tem

tem animã à Deo ipso in nos demitti, & *ἰδέσθαι*
 id est, extrinsecus aduenire, vt omnes humanas
 istas actiones, de quibus antea diximus, nõ ex v-
 na numero anima, sed à diuersis & pluribus in
 quoque nostrũ proficisci sentiant Peripatetici.
 Periculosa sanè sententia, atque etiam falsa,
 quam tamen Anomœi haretici, vt scribit Gre-
 gorius Nyssenus, & postea Syri quidam hære-
 tici Iacobitæ nominati, sunt secuti. Quĩ enim
 fieri potest, vt vnus & eiusdem vel speciei vel
 indiuidui plures sint *εἰδομοιαι* & propriæ effe-
 tiã; formæ? Quod tamen eueniat necesse est, si
 plures animæ in singulis hominibus inesse di-
 cantur, cùm anima sit hominis ipsissima & sub-
 stantialis, vt in scholis loquuntur, forma? De
 qua re cùm grauis incidisset anno Domini 1276
 in Oxoniensi Academia controuersia, verissi-
 mè contra Aristot. sententiam fuit tunc defini-
 ta. Quid? quod idem Aristot. lib. 3. *ἰνδίκων Νικο-
 μαχ.* totam hominis animam rationalem esse
 dicit, adeò vt nullæ ipsius actiones omnino
 ratione vel careant, vel carere debeant? Nam
 etiam in ijs actionibus, quæ homini vel cum
 plantis communes esse videntur, qualis est, cum
 alitur, vel gignit: vel cum brutis animantibus,
 veluti cùm sentit, gustat, & odoratur, in ijs (in-
 quam) ipsis humanis actionibus rationalis a-
 nimæ vis & præceptio versatur, quæ nominatur
 Téperantia. Ergo vera omnino est eorũ senten-
 tia, qui eandẽ esse in homine animam, & eam e-
 tiam numero vnã volunt, quæ omnes istos in
 homine motus & operationes siue actiones ef-
 ficat & ciet, cuius cum corpore toto atque etiã
 b.iiij.

cum singulis corporis nostri partibus vinculum & nexus, quanquam nobis est inexplicabilis, atque etiam mente ἀνεπίλητος, est tamen huiusmodi, ut se vna illa anima in omnes corporis partes & membra amicissimè diffundat, & exerat potentissimè ad certas functiones in constitutis seorsim à Deo & præparatis sibi locis & organis edendas & producendas, veluti in ventre cibos coquit, quia coctionis instrumenta in ea corporis parte à Deo sibi ordinata videt & habet. In corde vitales halitus & sanguinem iam ab hepate quadantenus elaboratum absoluit, quia cor illius officinæ sedes est. In cerebro sentit & ratiocinatur, quia propria earum actionum organa in eo loco Dominus ipse collocauit. Sic in tibia vnus & idem numero flatus ore tibicinis infusus in vno eiusdem tibiæ foramine sonum acutiorem reddit, in alio & inferiore foramine grauiorem: in medio moderatiorem, quum tamen & hic flatus vnus sit, & tibia vna & eadem. Sic vnus & idem Cato in exercitu optimus imperator: in foro optimus orator: in senatu, optimus senator: in familia optimus Paterfamil. Rempub. gerens, optimus magistratus & Censor dictus est. Itaque ad horum sententiam omnino accedo, qui omnes tum humanas, tum hominis actiones ab vna & eadē hominis anima, quæ rationalis & λογική est, esse & emanare contendunt, quòd sit illa tantum vnica in homine anima, cæteræ autem, quæ dicuntur, vti vegetans & sentiens anima, illius vnus sunt tantum operationes quædam & facultates, quæ diuersis nominibus sunt distinctæ & nun-

& nuncupata. Sed ne videamur sine magnis authoribus ita sentire, visum est operæpretium ad nostræ huius sententiæ confirmationē, præclarissimum Gregorij Nisseni testimonium afferre. Ille igitur in libro de Opificio hominis capite quintodecimo sic disertè scribit. Τῆ δὲ θεωρίας προσέκειτο ὅτι οὐχὶ μέρη τινὲ ἀπὸ ἐν ἡμῖν ὄντος ἀειρέχονται, ἀλλ' ἐπιστῆς ἐν πάσι, καὶ διὰ πάντων ὄσιν, ἅτ' ἐξωθεν ἀειλαμβάνων, ἐδὲ ἐνδοθεν κρατέμενος. Ἡ δὲ τὸ νῦν πρὸς τὸ σωματικὸν κοινωνία, ἀφραστὸν τε καὶ ἀνιπνόητον τὴν συνάφειαν ἔχει. Denique idem negat eam verè, in homine præsertim, ψυχὴν & animam dici, quæ intelligentiæ & rationis vi prædita non est: sed tantum esse τινὰ ἐνέργειαν ζωτικὴν, id est, viuendi facultatem quandam appellandam. Atque ex his apparet, quid de superius proposita quæstione sit sentiendum.



CAP. V.

Quæ actiones homini sint, tum cum Plantis, tum etiam cū Brutis animantibus communes, & quod sit earum in homine principium siue causa.

QUANTUM VERA & præclara est illa Dauidis Psal. 8. sententia, quæ infinitam quandam inter hominē & reliquas omnes huius aspectabilis Mundi creaturas differentiam esse docet, tamen siue qualis nunc est, siue qualis primùm à Deo conditus erat homo, spectetur à nobis, actiones quasdam illi fuisse communes tum cum plantis ipsis, quæ è terra nascuntur: tum etiam cum